



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXVI. Vtrum virtus Pœnitentiæ sit supernaturalis ex conceptu suo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

praesenti, ac imposterum impediatur effectus eius mali; atque ut tollatur ac extinguatur postea proxima inductiva eorundem effectuum. Hoc autem secundum intendit non primum habitus deletivus peccatorum.

Ad 5. Sicut is qui vult transire de vno loco in alium, habet actum, qui simul, ac indivisus est volitio, & prosecutio, respectu termini ad quem, volitio vero ac fuga respectu termini à quo: ita qui vult deletionem peccati; idest transitum à peccatore iniustum, habet actum, qui simul ac indivisus est volitio, & amor respectu gratiae, quae delet formaliter peccatum; nolitio vero, & odium respectu peccati, quod deletur formaliter per gratiam. Quia propter voluntas delendi peccata non est pura prosecutio, & amor, uti supponitur ab authoribus argumenti cum magno veritatis, & claritatis in tota ista re, prauiudicio, sed simul est detestatio, & fuga respectu diversorum, nempe respectu gratiae, & peccati. Itaque necesse quidem est praexistisse peccatum, ut detur eorum deletio. Nec enim destrui possunt, quin extiterint. Necesse nihilominus nequaquam est, ut volens deletionem peccatorum, eo ipso velit peccata. Quia peccata dantur independentes à tali voluntate, solumque desinunt esse vi eiusdem voluntatis. Quae autem ita sunt necessaria ad aliquid inducendum de nouo, ut iam praesupponantur aliunde praexistencia, necesse nequaquam est, ut sint volita à volente illud inducere, maxime si simul velit haec alia destruere, atque radiciter, quantum fieri potest, conuellere. Quod est nimis ex se manifestum, & potest pluribus exemplis facile illustrari, illustratumque à nobis est in re simili, sed digniori quae explicaretur quæst. 31. de Deo ad 4. Circa istud argumentum videri possunt mirabiliter multa quae nos ad haec pauca coegerunt, apud Card. de Lugo disputatione 2. de poenit. tota sect. 3. & apud Dicastillum, qui impugnat Cardinalem ex professo disp. 1. dubit. 2.

Artic. 1. Ad 6. Habitus deletivus peccatorum non est virtus Theologica, sed moralis. Quia finis eius proximus, ac immediatus est quid creatum, ut patet ex dictis. Est autem virtus ad alium, scilicet ad Deum, & reducitur ad virtutem iustitiae commutativae, non tanquam pars eius subiectiva, sed tanquam potestativa. Habet enim peculiarem cum ipsa similitudinem, quatenus deletio peccatorum fit per satisfactionem, quae exhibetur Deo loco poenae illis debita, qua in re apparet ratio, & imitatio quadam restitutionis reparantis aliquo modo inaequalitatem constitutam, per peccatum inter Deum, & peccatorem.

Artic. 2. Virtus autem iustitiae proprie talis constituit medietatem inter duo extrema vitiosa, nempe inter plus respectu vnius, & minus respectu alterius; non tamen inter duo vitia; ideoque vnum tantum habet vitium, contrarium iniustitiam ut expositum est quæst. 9. de iustit. In hunc igitur modum poenitentia imitatrix iustitiae versatur inter duo extrema vitiosa, quae insunt peccato, & fouentur per impoenitentiam, quorum alterum est plus indulgere peccatori, quam par est, alterum vero obsequi similiter Deo minus, seu potius non obsequi similiter. Vitat vero poenitentia haec extrema agendo ratione contraria, atque ita constituit aequalitatem secundum quid inter Deum, & peccatorem; solumque habet vnum vitium contrarium impoenitentiam, qua peccator per defectum ipsius poenitentiae, idest per defectum praedictae aequalitatis secundum quid.

Artic. 3. Nempe in constituenda eiusmodi aequalitate, in delendo peccato, & in exhibendo satisfactionem, non potest peccari per excessum ex parte

obiecti, siue ex parte eius deletionis, & exhibitionis, & rei deletae, ac exhibitae; sed tantum ratione alicuius circumstantiae. Quo pacto peccari potest per excessum in materia etiam virtutis Theologicae, & per defectum peccari potest, non quidem delendo peccata partialiter saltem quoad culpam; bene tamen non delendo simpliciter. Quod ipsum est minus agere respectu Dei, quam postulet ius eius, & dignitas. Nempe minus, quod est proprium iniustitiae, consistit in defectu adaequationis respectu iuris & dignitatis conuenientis alteri. Omne porro ius Dei est ius ad bonum pure decens respectu ipsius; vile vero respectu nostri tantum, uti saepius expositum alibi est. Unde, quod deletio peccatorum soli sit vilis delenti, non tollit quin habitus deletivus eorum sit absolute virtus ad alium, videlicet Deum.

Ad 7. Esto habitus deletivus peccatorum. habeat materiam valde amplam, ac vniuersalem; motuum tamen eius formale est omnino particulare, & contractum ad vnicam speciem infimam, ut expositum est supra. Specialitas autem virtutis dependet ex sola specialitate motui formalis. Deinde actus huius habitus continet in se dolorem, & fugam coniunctam cum prosecutione, & amore, ut paulo prius dicebatur. Explicatur vero poenitentia potissimum relate ad dolorem, quatenus hoc praedicatum est notum propter adiunctam passionem, ex qua lacrymae, & corporalis immutatio existunt formaliter. Ceterum subintelligitur semper prosecutio deletionis peccatorum. Quia poenitentia peragitur dolore purificante cor, & lacrymis lauantibus, ac extergentibus maculas peccatorum, iuxta illud ps. 6. 7. *Laboravi in gemitu meo; lauaui per singulas noctes lectum meum;* quae subintelligentia apparet manifeste ex testimonio superius productis art. 5.

QVÆSTIO LXXVI.

Utrum virtus poenitentiae sit supernaturalis ex conceptu suo?

Videtur esse supernaturalis ex suo conceptu, nec dari, aut esse possibilem virtutem vllam poenitentiae intrinsece naturalem. 1. Quia, cum Philosophi, ac praesertim Aristoteles egerint quam diligentissime de omnibus, & singulis virtutibus moralibus; nullibi tamen poenitentiae meminere. Imò Tullius relatus à Laet. Firm. lib. 6. instituit. diuin. cap. 24. aperte negavit *vitam deuiam secutos corrigere errorem poenitendo posse*. Ergo virtus poenitentiae praetergreditur limites rationis naturalis, ac proinde naturalis esse non potest.

2. Poenitentia est donum Dei, & nemo potest poenitere prout oportet, nisi ex gratia Dei per Christum, ut probat inter alios Canus relect. de poenit. 2. p. concil. vlt. ex August. cap. 31. de fide ad Petrum, & lib. 3. contra Iulianum cap. 3. Leo Epist. 69. Caes. Pont. in Ep. ad Episcopos Galliae cap. 4. 8. & 9. Idem definitur expresse semel atque iterum à Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & 7. & can. 2. de iustif. Colligitur etiam aperte ex 2. ad Rom. 4. ex 2. ap. Timoth. 2. 25. ex Hieremia. 31. 19. cum D. Hieronym. ibid. Donum autem Dei, & quod fieri non potest nisi ex gratia, non potest naturaliter haberi; ac proinde nec naturale esse potest.

3. Ex peccato semel commisso resultat eius memoria causatiua confusionis & doloris aeterni, cumque causatura necessarium, si tantum illud malum nunquam compensetur per bonum aliquod ipsi æquale. Bonum autem æquale malo, quod inest peccato, nullum

nullum naturaliter dari potest. Ergo nullum bonum naturaliter dari potest, quo auferatur, ac deleatur malum æternum resultans ex peccato; Ergo virtus deletiua peccatorum, idest sufficiens ad ea auferenda, ac delenda, nulla potest esse naturalis.

4. Nulla imprimis satisfactio exhiberi Deo potest, saltem naturaliter, quæ sit æqualis offensæ, ac iniuriæ repertæ in peccato, vipote quodammodo infinitæ, quatenus lædit infinitam Dei maiestatem; Quod sequitur à fortiori ex dictis quaest. 9. de incar. ubi ostensum est, ne quidem supernaturaliter exhiberi possit à pura creatura satisfactionem æqualem pro peccato lethali. Deinde remissio, & deletio peccati, non præsupponens satisfactionem æqualem, est omnino indebita, atque ideo gratia, & purè liberalis. Nihil autem eiusmodi dari potest intra ordinem rebus connaturalem; Quia hic ordo est ordo iustitiæ, idque solum vnicuique tribuit, quod ipsi debetur ex natura rei. Nec enim est vllum aliud discrimen reale entis, ac doni supernaturalis à naturali, vti ostensum & expositum est ex professo qu. 6. de Gratia. Nulla igitur est possibilis virtus naturalis intrinsecè ordinata ad obtinendam, ac inducendam remissionem, & deletionem peccatorum; quandoquidem nihil naturale est intrinsecè ordinatum, aut sufficiens ad inducendam existentiam doni alicuius supernaturalis, seu naturaliter impossibilis.

5. Non potest naturaliter sperari remissio, ac deletio peccatorum. Quia dona Dei, inter quæ non infinitum locum tenet, si & primum non tenet, remissio, ac deletio peccatorum, superant omnem spem, quæ naturaliter concipi potest ab homine iuxta illud 1. ad Cor. 2. 9. *Neque in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se. Nemo autem, vt subiungit Philosophus, d. sperans de fine operatur.* Certè nemo potest desperans de fine operari prudenter, vti necessario operatur omnis virtus. Nulla igitur virtus naturalis potest esse purè intentiua, ac inductiua remissionis, & deletionis peccatorum; idest nullo præterea alio fungens munere, nec alium potens intendere finem. Ob quæ argumenta putant nonnulli cum Vasquez, nullam, pro statu naturæ puræ, dandam fuisse virtutem pœnitentiæ propriè, ac strictè talis sensu exposito ex SS. PP. in quaest. præced.

Artic. 1. Respondetur. Vnum quoddam est virtuti pœnitentiæ cum cæteris omnibus virtutibus commune ex omnium Theologorum consensu; nimirum nullum habitum, nullamque virtutem operari salutariè posse, nullumque actum posse esse positivè salutarem & conferentem ad salutem vitæ æternæ constitutum formaliter per visionem immediatam Dei, nisi ex gratia ipsius Dei per Christum. Ostensum autem est pluribus efficaciter quaest. 7. de gratia omnes eiusmodi actus, omnemque eiusmodi gratiam esse intrinsecè, & quoad substantiam supernaturales. Et similiter ostensum est alibi omnes habitus, & virtutes ex sua natura operatiuas talium actuum, esse supernaturales intrinsecè, & quoad substantiam; atque conferri à Deo per infusionem in instanti iustificationis. Ex his porro principiis sequitur manifestè virtutem pœnitentiæ, omnesque alios actus conferentes positivè, de facto, in vitam æternam, esse intrinsecè supernaturales, & quoad habitum, haberi per infusionem diuinam, nec aliter haberi posse absolute. Quæ est sententia D. Thom. qu. 89. art. 5. aliorumque communis aduersus Durandum, & nonnullos alios.

Artic. 2. Superest nihilominus peculiaris controuersia de virtute pœnitentiæ. An scilicet hæc virtus danda sit pro statu puræ naturæ, sitque proinde possibilis vera aliqua pœnitentiæ virtus intrinsecè naturalis; sicut ex omnium confessione sunt possi-

biles, & darentur pro eo statu virtutes aliæ morales intrinsecè naturales? quæ controuersia est conuertibilis, & realiter eadem cum illa alia. An peccatum commissum pro statu puræ naturæ foret condonabile à Deo per compositionem intrinsecè naturalem, nulloque infuso dono intrinsecè supernaturali? Respondendum autem vtrobiusque est affirmatiuè. Et quidem pœnitentiæ peccati commissi esse homini connaturalem, atque vtilem, ex suo conceptu, efficacissimis verbis significat August. tom. 6. lib. de duab. animab. cap. 14. *Vt inter omnes sanes constat & quod ipsi Manichei non solum fatentur, sed etiam præcipiunt vtile est pœnitere peccati.* Quod ego nunc in hanc rem diuinarum scripturarum testimonia, quæ vsquequaque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista natura. Neminem stultum rei huius notitiæ deseruit. Hoc nobis nisi etiam penitus insitum esset periremus. Potest aliquis dicere non se peccare. Non autem sibi esse, si peccauerit, pœnitendum; nulla barbaries hoc dicere audebit. Quod si hæc est vox naturæ, neque vlla barbaries negare potest; vox vtiq; naturæ est, nec negari potest, stando rationi naturali; Deum vt authorem naturalem condonare posse peccata commissi contra ipsum, vt authorem itidem naturalem; ac per consequens non esse de conceptu peccati, vt præscindit ab statu eleuationis, & puræ naturæ, ne possit deleri per actus, & formam purè naturalem. Nempè ratio naturalis non præscribit per se media, ad finem ex suo conceptu impossibilem naturaliter, cum Deus, & natura nihil faciant frustra, vt dicit Philosophus. Finis autem pœnitentiæ est remissio, ac deletio peccatorum; idque est de conceptu ipsius, vt liquet ex qu. præcedenti; atque Augustinus planè loquitur de pœnitentiā habente hunc finem ac fructum, vt apparet clarè ex toto eius contextu. Ergo pœnitentiā non est virtus intrinsecè supernaturalis ex conceptu suo vniuersali; nec eius finis modo indicatus fuisset naturaliter inconsequibilis, ac impossibilis pro statu puræ naturæ, & in sensu composito ipsius.

Artic. 3. Idem vltèrius probatur à priori. Quia homo constitutus in statu puræ naturæ potuisset, post peccatum redire naturaliter in eandem dispositionem actualem, & h. bitualem affectiuam & effectiuam respectu sui vltimi finis, quam habuisset ante peccatum. Ergo potuisset naturaliter reddi tam bonus, ac iustus post peccatum, quàm fuisset ante peccatum, ac proinde posset naturaliter iterum iustificari, & peruenire ad totalem deletionem peccatorum. Paret consequentia, quia hominem esse bonum vel malum, iustum, vel peccatorem, est esse bonè, vel malè dispositum, quoad actum, & quoad virtutem agendi, respectu sui vltimi finis, vt apparet ex qu. 4. de iustif. ac deinceps. Probatur antecedens, quia homo, in eo statu maneret, post peccatum expositus iisdem obiectorum, omniumque aliarum causarum naturalium occurribus, quibus expositus fuisset ante peccatum; ac proinde posset naturaliter nancisci post peccatum, cognitionem bonitatis Diuinæ, & vilitatis rerum creaturarum, atque turpitudinis, & malitiæ peccati, non minus efficacem, & perfectam vel etiam efficaciorē, ac perfectiorē, quàm ante peccatum. Posset igitur naturaliter diligere Deum super omnia post peccatum, atque odisse efficaciter ipsum peccatum, quandoquidem reliqua principia mutabilitatis homini connaturalis mansura similiter forent prorsus eadem.

Artic. 4. Naturalis autem dilectio Dei super omnia, & odium efficax peccati, retractant imprimis, per se ipsa formaliter, priorem auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, & reponunt contrariam conuersionem affectiuam ad Deum, nec non auersionem à creaturis. Deinde inducunt efficienter habitum diligendi Deum, & odio habendi peccatum. His potè-

duobus constituitur adaequatè dispositio optima actualis, & habitualis; affectiua, & effectiua respectu ultimi finis, qualis dispositio præcederet ante peccatum pro eo statu puræ naturæ, & qualis proportionaliter datur de facto in iustificatione impij per dilectionem supernaturalem Dei exercitam à peccatore, & per gratiam habituales, seu habitum charitatis infusum à Deo. Quem proinde habitum infusum, si posset vi sua producere dilectio supernaturalis Dei, sicut dilectio naturalis producit habitum naturalem; eo ipso esset sufficiens ad iustificationem impij pro statu præsentis elevationis, absque noua gratia Dei, & independentem ab omni dono habituali per se infuso.

Art. 5. Probatum rursus ab inconuenienti. Quia si homo, in pura natura, nullius peccati remissionem posset naturaliter obtinere, nec euadere æternam damnationem, aut per poenitentiam redire in viam salutis, à qua semel aberrasset: per quoduis peccatum lethale induceretur naturaliter in desperationem. Nec enim potest sperari saltem per se, virtute naturali quod est naturaliter impossibile. Eset autem malè constituta natura vsque aded mutabilis, & labilis facile, etiam post perseverantiam innocentiae utrunque diuturnam, atque est humana natura; si simul subesset inenitabili desperationi post quoduis peccatum lethale. Quia desperatio est vorago vitiorum omnium confluentium inde irresistibiliter in animum desperantis. Nam, ut dicit optime D. Tho. 2. 2. quæst. 20. art. 3. *Sublata spe irrefrenatè hominis labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur*: atque ut dicit Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 14. *Perpetrare flagitium aliquod, mors est anima; sed desperare est descendere in infernum*. Non est igitur credendum Deum posse esse authorem substantiæ rationalis ex eiusmodi prædicatis compactæ. Hoc enim contradicit Psalmistæ dicenti psal. 102. 15. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*. Quæ profecto ratio cognitionis figmenti nostri, fundans Paternam erga nos misericordiam, completur æqualiter statum puræ naturæ, sicut & illud, quod sequitur immediatè. *Recordatus est, quoniam pulvis sumus Homo sicut fenum &c.*

Art. 6. Eandem continet amplitudinem respectu omnis status viatoris, quod dicitur de patientia iustitiæ Dei, misericorditer expectante ad ultimam vsque periodum vitæ, psal. 7. 12. *Deus index iustus fortis, & patiens, Numquid irascitur per singulos dies*. Vbi proponitur tanquam inconueniens repugnans rationi naturali, quod Deus irascatur per singulos dies, nec ad patientiam eius spectet, sed ad augmentum iræ, quod sinat vivere peccatorem, nec protinus in Inferno eum concludat; cum secundum veritatem, intendat potius conuersionem eius, & iustificationem, dum ipsum detinet in sua mutabilitate iuxta illa Isaia. 30. 18. *Expectat vos Dominus, ut misereatur vestri*. 2. Petri. 3. 9. *Patienter agit propius vos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti*. In quibus, & aliis similibus quam pluribus haud obscure subluce, finem æquitatis naturali constitutum conseruationi peccatoris in vita mortali, hunc esse; vt nimirum agat poenitentiam deletiuam peccatorum, & salutem consequatur æternam.

Art. 7. Suadet denique eadem veritas triplici præterea ratione iustæ cuiusdam proportionis. Prima est, quia sicut naturæ immutabili Angelorum innatum, & connaturale est, vt peccent irreparabiliter; ita data est potestas adherendi summo bono inamissibiliter, eademque præditi fuissent naturaliter, si non fuissent elevati in finem supernaturalem. Similiter ergo naturæ humanæ ex se variabili, ac muta-

bili, sicut inest naturaliter potestas amittendi innocentiam diu etiam retentam; ita naturaliter inest potestas quoque reparandi innocentiam naturalem amissam per peccatum. Consequentia tenet, quia Diuina providentia æqualibus in vtramque partem momentis distribuit vnicuique speciei mensuram bonorum, & malorum iuxta cuiusque conditionem, nec finit aliquod suum opus deterius habere, quam aliud suum opus, quatenus fert cuiusque capacitas. Quam sententiam pluribus efficaciter prosequitur, ac illustrat, D. Dionys. cap. 8. de diu. nom.

Art. 8. Secunda ratio est, quia status innocentiae constitutus per dona supernaturalia gratiæ, est reparabilis supernaturaliter post peccatum, per dona gratiæ collata à Deo, vt authore supernaturali. Ergo status innocentiae naturaliter constitutus, est reparabilis naturaliter post peccatum per dona naturalia collata à Deo vt authore naturali. Patet consequentia, quia ordo gratiæ imitatur ordinem naturæ; & tanta est sufficientia naturæ ad finem naturalem, quantum est sufficientia gratiæ ordinariæ ad finem supernaturalem; nec Deus, vt author naturalis magis deficit in necessariis ad finem, quam idem vt author supernaturalis. Alia enim non aliter vtrobique dispensat retenta rerum virtutisque ordinis proportionem; Cum sit eadem perfectio, & bonitas eius sub vtroque conceptu.

Art. 9. Postrema ratio est, quia nulla est possibilis virtus, aut forma supernaturalis, quæ non sit affinis, quoad munus suum primum, virtuti, aut formæ alicui naturali, vt apparet ex dictis supra, quæst. 21. & 22. Cum ergo in ordine supernaturali, detur virtus infusa poenitentiae purè deletiuæ peccatorum, quibus offenditur Deus vt author supernaturalis; consequens est, vt dicatur in statu quoque puræ naturæ dandam fuisse virtutem acquisitam Poenitentiae purè deletiuam peccatorum, quibus offenderetur Deus, vt author naturalis.

Ad 1. Philosophi non considerauerunt virtutes, vt respondet D. Thomas, relatè ad providentiam Dei, atque ad æternam aut felicitatem, aut infelicitatem; sed relatè ad bonum humanum, ac temporale tantum, in ordine ad quod nihil confert poenitentia, theologicè sumpta, & vt est deletiuæ peccatorum. Ad Ciceronem quod attinet; liber eius à Lactantio citatus qui est quartus Academicus, non amplius extat. Vnde de eius intentione non potest haberi certa, & exacta notitia. Crediderim negari ab illo poenitentiam purè effectiuam seu purè retractatiam, ac emendatiuam vitæ ante actæ per actus contrarios bonos. Quæ est res patenter absurda, non tamen absque doctrinæ, quæ leguntur in reliquis eiusdem authoris Academicis, quæ extant. Vtunque res habeat, nullius est quoad hoc punctum considerationis authoritas hominis negantis palam præscientiam, providentiamque diuinam circa actus humanos.

Ad 2. Testimonia illa solum probant, quod initio spontè concessum, & tanquam certum, extra omnem inter Catholicos controuersiam, positum est. Nimirum poenitentiam conferentem ad finem supernaturalem vitæ æternæ de facto humanæ naturæ præfixum esse supernaturalem. De sola nempe eiusmodi poenitentia habetur sermo in sacris documentis, vt de aliis quoque virtutibus, & virtutum actibus ostensum est pluribus vniuersaliter in quæstione præindicta de gratia, quin propterea negentur virtutes eiusdem nominis intrinsecè naturales, & exitura pro statu puræ naturæ, atque ex sententia Durandi, & quorundam aliorum, existentiam etiam de facto cum vero conceptu virtutis.

Ad 3. Fieri potuisset viribus naturæ pro statu naturæ puræ, vt memoria peccati præteriti coniungeretur cum memoria poenitentiae ritè peractæ, & cum
experimental

experimentalī, certaque notitia de præsenti dilectione Dei super omnia tum actuali, tum habituali, adeoque de perfecta coniunctione naturaliter possibili cum summo bono, & de dispositione similiter perfecta respectu ultimi finis naturalis. Hæc autem sufficerent ad reparationem adequatam totius mali præcedentis, adeoque ad iustificationem, & felicitatem propriam illius status, & æquivalentem innocentie penitus illibate, vt liquet ex dictis supra. Quapropter posterior ista notitia tolleretur, priori illi memorie peccati antea commissi, vim ulterius contristandi, ac augendi, solamque relinqueret vim inductiuam detestationis peccati, & humiliationis de illo antea perpetrato, coniunctam cum gaudio de victoria obtenta aduersus idem peccatum, & aduersus pertinaciam seu obstinationem, ac impœnitentiam circa ipsum; vt proportionaliter contingit de facto in præsentī eleuationis statu.

Art. 1. Ad 4. Natura humana, se sola, & secundum se præcisè, est dignitas, & vis inductiua sufficiens respectu sui ultimi finis, & beatitudinis naturalis, cum solis auxiliis, & concursu Dei, vt authoris naturalis idest debitis eidem naturæ secundum se. Vnde homo decedens, pro statu puræ naturæ, absque vllō, aut peccato, aut bono opere, consequeretur iure suo, æternam beatitudinem naturalem. Nullum autem peccatum, ita corrumpit, vt destruat naturam peccantis. Ergo peccatum puræ naturæ non ita corrumpit, vt etiam destrueret dignitatem, & ius beatitudinis Naturalis, vt potè identificata cum natura peccantis, sed solum eam impedit, ac ligat. Manifestum porro est retinenti ius, & dignitatem ad aliquid, licet cum impedimento, & exceptione ex delicto, non tot, ac talibus opus esse impensis, & compensatione per bona opera, vt potatur termino sui iuris, ac dignitatis quot, & quali opus illi est, qui ius ipsum, & dignitatem totaliter amisit.

Art. 2. Quapropter licet homini supernaturaliter eleuato necessaria sit post peccatum satisfactio ad æqualitatem, vt perueniat ad suum vltimum finem vtque delecto, ac remisso peccato acquirat dignitatem, & ius æternæ beatitudinis, quæ totaliter destruntur per peccatum, & non solum impediuntur, ac ligantur, non propterea concluditur, etiam homini non eleuato supernaturaliter, necessariam similiter esse æqualem satisfactionem, vt iure suo absque noua gratia vltimum suum finem naturalem consequatur. Conceditur itaque nullam puræ creaturæ satisfactionem, posse esse æqualem vlli peccato lethali etiam commissio pro statu puræ naturæ. Sed negatur esse necessariam tantam, ac talem satisfactionem, pro statu naturæ puræ, ad deletionem peccati, & ad consecutionem vltimi finis naturalis, impeditam per ipsum peccatum. Sufficit enim, absque alio dono simpliciter, & absolute gratioso, ac liberali, conuersio peccatoris ad summum suum bonum, contenta intra ordinem viresque naturæ. Quia per eam conuersionem reponitur iterum peccator in pristino statu bonæ dispositionis actualis, & habitualis, ac permanentis respectu sui vltimi finis naturalis, vt dictum est. Quod non ita contingit in statu eleuationis non superaddita ulterius habituali gratia Dei intrinsecè supernaturali, vt ostensum est q. 11. de iustif. Comparatur nimirum peccans pro statu puræ naturæ cum eo, qui peccat pro statu puræ eleuationis, ad eum ferè modum, quo comparatur obæratum cum spoliato suis rebus, ac iuribus; & qui habet potentiam ambulatiuam ligatam, aut vulneratam, cum eo, cui abscinduntur pedes.

Ad 5. Dona supernaturalia de quibus solis loquitur Apostolus, superant spem naturalem; non tamen dona naturalia. Remissio autem peccati naturæ puræ est

naturalis, & fit per naturalem, tum dilectionem Dei, tum habitum diligendi Deum, sicut remissio peccati commissi ab homine eleuato est supernaturalis; & fit per habitum supernaturalem diligendi Deum infusum ab ipso Deo. Ergo sicut remissio ista posterior speratur per virtutem supernaturalem, & obtinetur per virtutem pœnitentiæ itidem supernaturalem. Ita prior illa remissio speraretur, pro statu puræ naturæ, virtute naturali, & virtus pœnitentiæ itidem naturalis posset vtiliter operari in ordine ad eam obtinendam.

QVÆSTIO LXXVII.

Vtrum Virtus Pœnitentiæ sit necessaria ad remissionem peccatorum?

Videtur non esse necessaria. 1. Quia maior est misericordia Dei, quam hominis, homo autem remittit interdum offensam alij homini etiam non pœnitenti, atque ita facere tenetur iuxta illud Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo multo magis remittit Deus offensas etiam non pœnitentibus; seu adhuc inimicis, & odio habentibus.

2. Sacramentum pœnitentiæ, quod est opus Dei ordinatum ad remissionem peccatorum, non est necessarium nihilominus ad illam. Quia absque hoc sacramento remisit Christus Dominus peccata, tum adulteræ Ioann. 8. tum mulieri peccatrici Lucæ 7. & sic martyribus atque aliis non raro; Ergo actus pœnitentiæ. Qui est opus hominis ordinatum ad eundem finem, multo minus, est necessarius ad consecutionem ipsius. Patet consequentia, quia cum remissio peccati spectet ad Deum, impossibile est vt magis ad eam requiratur opus hominis, quam opus Dei ordinatum ex se ad ipsam remissionem.

3. Actus charitatis potest haberi absque actu pœnitentiæ. Quia charitas habet motiuium independens à motiui, & fine pœnitentiæ. *Charitas autem operit multitudinem peccatorum*, vt habetur. 1. Petri. 4. 8. Ergo remissio peccatorum potest obtineri absq; actu pœnitentiæ.

Art. 1. Respondetur. Certum imprimis est, paruulis, & nondum habentibus vsum rationis non esse necessariam pœnitentiam pro remissione peccati. Quia cum nullum habeant peccatum propria voluntate commissum, nullo indigent motu propriæ voluntatis, vt iustificentur.

Art. 2. Certum rursus est adultum indigere aliquo motu, & actu virtutis pœnitentiæ, vt ei remittantur peccata personalia. *Si enim pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*, vt dicitur Ecc. 2. 22. Et Luc. 13. 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Similiter Apoc. 2. 5. dicitur: *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam sin minus veniam ad te, cito.* Ex his definit Conc. Triid. sess. 14. cap. 4. *fuit autem quoniam tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Quem motum immediatè ante dixerat habere primum locum inter actus pœnitentis. Demum Augustinus Ep. 50. *Saluus esse non poteris; inquit, nisi doleas te fuisse peruersum*, atque in eadem veritate prædicanda sunt admodum frequentes SS. PP. Rationem reddit D. Thom. quaest. 86. art. 2. Quia cum homo compos rationis sit agens liberum; & peccator sit liberè auersus à Deo per nimiam delectationem in rebus creatis; atq; Deus vnumquodq; moueat iuxta naturam ipsius: fieri non potest, saltem ex natura rei vt peccator adultus transferatur ab statu peccati ad statum iustitiæ, quin ipse amet libere, atque exoptet hunc statum, oderit verò, ac detestetur statum priorem. Quod fit per virtutem pœnitentiæ.

Art.